32-2-F-15

IN OBITV ILLVSTRISSIMI,
ATQ; ECCELLENTISS: D.

D. FRANCISCI MARIÆ FLORENTINII.

AD AMPLISSIMVM, ATQ;
EXCELLENTISS: D.

D. MARIVM FLORENTINIVM F.

Conſolatio.



LVCÆ, Apud Hæredes Mareſcandali. 1673.

SVPERIORVM LICENTIA.

Digitized by Google



Digitized by Google

CARMEN:

HVc ades æthereo Pietas dilecta Tonanti,
Candida puniceis præcingens tempora vittis,
Stelliferoque premens flauos velamine crines;
Huc ades, & miſero rumpentem pectora queſtu
Inſpice, & aſſiduo fodientem flumine vultus,
Inſignem Iuuenem ſæuo ereptura dolori,
Laudatique viri ſtillantia lumina terge.
Cerne graues luctus, atque anxia corda querelis,
Quas haud Sponſa nouo fundat viduata marito,
Aut effæta carens extincto pignore Mater.
Sed meritò tantis fædat ploratibus ora;
Nempè celebratum manſurà laude Parentem
Deflet, & extremos lacrymis modò ſacrat honores;
At quantum Patrem? verax quem Fama per Orbem
Protulit, & lætus tandem ſuſcepit Olympus.
Non ego docta ſuæ referam primordia vitæ,
Caſtaliumque decus, dulces nec Apollinis artes,
Emicuit virtus teneros diffuſa per artus,

Ingeniumque ſagax, prægreſſaque moribus annos
Vita, ſecuturi ſpecies, ſpecimenque decoris;
Non loquar externos habitus, ſortemque beatam,
Magnificos ſumptus, argenti pondus, & auri
Munifica miſeris donatum dextera egenis,
Sanguinis & lumen, cuius fulgore nepotes,
Heſperiæque virent laudes, & Patria lucet.
Cordis at egregiæ dotes, animusque pudicus,
Ac ſenium illuſtre, atque æquæ ſapientia mentis,
Et ſanctæ probitas vitæ, pretioſaque virtus
Omnia Diuinis cenſentur digna Triumphis.
Inuidus Heroem cum denique cerneret Æther,
Cæleſtemque virum mortali ſemine natum,
Illicò ſidereos raptum deduxit in Orbes,
Dedignans tantum terras includere ſidus.
Iurè igitur lacrymas Gnatus ſine lege relaxat,
Lugendique modos neſcit, maneſque paternos
Mitibus exequijs, & grato munere donat.
Huc propera, ò Pietas, & quam ſibi denegat, ægro
Affer opem, placidiſque modis ſolare dolentem.
Pande quibus clarum genitorem occurſibus Æther,
Luſtratamque pijs Nati mæroribus vmbram,
Omnis Cælituum ſuſceperit ordine Cætus.
Empyream memora turbam, Sanctamque Coronã,
Dic ſuperos axis plauſus, Proceresque Beatos
Vndique mittentes radios, omneſque ſereni
Mundi habitatores, quorum acta, altoſque triũphos,
Inclytaque æternis mandauit Nomina Faſtis.

Vt ſimul innocuam celeres candentibus Vlnis
Excepere animam, laudes reſonantibus Aſtris.
Inde triumphales properabant ordine pompæ,
Virgineique chori, Pugilumq́ue examina Chriſti;
Lilia pars violis fragrantia mixta ferebat,
Pars roſeo canas nectebat flore coronas,
Decertans caro decus addere quiſque ſodali:
Hic diues gemmis adamantina ſerta gerebat,
Purpureoſq́ue ſinus alter, veſteſq́ue niuales.
Denique dulciſonas inter cytharaſque, lyr aſque
Narra quos cantus illi efformarit Olympus.
An ne decet Sobolem triſti, Patris, ore tueri,
Gaudia, quę reſono teſtantur ſydera cantu?
Ergo age rumpe moram, Pietas; tantaq́ue Parentis
Lætitià, nati lacrymas perfunde; Decuſq́ue
Partire, & Cæli diſtilla nectar Alumno.

Digitized by Google

EIDEM

EPIGRAMMA

ERgò perit Sophiæ cæleſtis Alumnus, & Altor;
Et Domitor lethi funera acerba ſubit?
Proh dolor! Æthereas ecquid iuuat ire per artes?
Et Phœbum ſtudijs, Phœbigenamque ſequi?
Fallimur. Egregius viuit, non occidit, Heros;
Viuit inocciduos, poſt ſua fata, dies.
Viuit, & inſertus Diuis, mortalia Libris
Corda tenet, terras Nomine, Mente Polum.

Addictiſſimus Famulus
Io: Nicolaus Barſantius
D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

EIDEM

EPIGRAMMA

ERgò perit Sophiæ cæleſtis Alumnus, & Altor;
Et Domitor lethi funera acerba ſubit?
Proh dolor! Æthereas ecquid iuuat ire per artes?
Et Phœbum ſtudijs, Phæbigenamque ſequi?
Fallimur. Egregius viuit, non occidit, Heros;
Viuit inocciduos, poſt ſua fata, dies.
Viuit, & inſertus Diuis, mortalia Libris
Corda tenet, terras Nomine, Mente Polum.

Addictiſſimus Famulus
Io: Nicolaus Barſantius
D. D. D.

Digitized by Google